

Eram ego per id tempus Tarcenti apud hospites meos Porpetanos Regulos, quo ob pestilentem annum ex Utino concesseram; auditaque clade ad Sontium accepta, in arcem quæ vico imminet, me cum multis mortalibus receperam. Ex eo loco prospectus in universam Patriam late longeque patet. Inde atrocissimum patriæ incendium spectavi. Fædum equidem fuit, interdum videre tantum culti & amœni soli fumo & caligine opertum: sed longe fœdius atrociusque sub primas tenebras perque reliquum noctis cernere aciem unam flammaram a Sontio amne ad Tiliaventum extensam; ut pene nihil medim esse videretur, quod non ignis occuparet: quam speciem ardentium villarum densitas, quæ circiter centum numero fuere, faciebat. Hostes ea nocte non uno loco castra habuere; ubi autem illuxit, onusti præda ingentique captivorum multitudine, in unum coivere: atque in castra, quæ ultra Sontium fecerant, se læti receperunt. Postridie mota signa: & quum a flumine unius diei itinere recessissent, abeuntium speciem præbuere. Quod ubi ita omnibus persuasum putarunt, iterum haud minore tumultu quam prius, in Patriam erumpunt; denso agmine ad Tiliaventi ripam contendunt, superatoque impigre fluvio, cis ultraque amnem plerisque villis incensis, ingentem Transiliaventanis cladem attulere; plures ferme hinc mortales, quam nuper ex reliqua Patria abducti. Et quia terra marique copiæ ex urbe ad hostium cursus opprimendos missæ adventare dicebantur, continuo, ubi qui secundo eruperant in castra rediere, Italiæ finibus barbarus excessit. Tantum terroris Sontiacæ illa clades omnibus iniecit, ut Veronam usque vehementer sit trepidatum. Venetiis quoque nocturnæ villarum ardentium flammæ ex alta specula prospectæ, non mediocres animorum motus concivere. Erant, qui palam proclamarent, indignum facinus, & a Veneti nominis dignitate alienum, amœnissimum Venetæ terræ solum, ante oculos civitatis, ab immanissimo hoste igni & ferro vastari; pecora, agrestes, in prædam agi; neque terra neque mari arma ad propulsandam injuriam comparari; oportuit.